Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum XLIII

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

mutant ac gemunt elementa et omnis creatura
Et ut dicit Criso. sicut homo cum moritur pa-
titur fantasias et turbaciones maximas qui
est microcosmus sive minor mundus sic ma-
crocosmus sive maior mundus deficiens totus
conturbabitur Modum enim deficiendi in ma-
iori mundo ex minori oportet accipere Quod
hic dum breviter quedam tetigisse signa diem
iudicii precedencia Dicitur autem in scolastica hi-
storia quod Ieronimus in annalibus libris hebreorum
invenit signa xv dierum ante diem iudicii
sed utrum dies illi continui futuri sint an in-
terpolati non expressit hoc autem multam habet
dubietatem Prima die eriget se mare xl cu-
bitis super altitudinem moncium stans in loco
suo quasi murus Secunda in tantum descendet ut vix
videri possit Tercia marine belue scilicet balene
et huiusmodi apparentes super mare dabunt
rugitus usque ad celum Quarta ardebit mare
et aque omnes Quinta herbe et arbores da-
bunt rorem sangwineum Sexta omnia ruent
edificia Septima petre ad invicem collident
Octava fiet generalis terre motus Nona equa-
bitur terra Decima exibunt homines de caver-
nis et ibunt velut amentes nec mutuo po-
terunt loqui Undecima surgent ossa mortuo-
rum et stabunt super sepulchra sua Duodecima
cadent stelle de celo secundum quosdam quo ad appa-
renciam Tercia decima morientur homines vi-
ventes ut cum mortuis resurgant Quarta
decima ardebit celum et terra i. superficies ae-
ris et terre Quintadecima fiet celum no-
vum et terra nova et omnes homines resurgent
Cor nequam si ad hec audita non molleris
nec ad penitenciam provocaris durius es lapide
durius es adamante hec enim signa terribilia que
precedunt terribilius iudicium quod sequitur osten-
dunt unde Criso. Terribile est illud iudicium
et inevitabilis est pena et intollerabile illud
tormentum Si autem vis nec hic dare vindic-
tam de eterne de te ipso expete a te novas Au-
di paulum dicentem quoniam si nosmetipsos
iudicaremus non utique iudicaremur Si
hoc feceris vitam invenies et ad coronam de-
venies Et qualiter expectemus vindictam
a nobis ipsis cum luge ingemisce amare hu-
milia teipsum intuere rememorare peccatorum
secundum speciem Nunc enim fiat hoc ita expurges
ut nec vita dignum se ipsum esse estimet qui ad
hoc estimare cera omni mollior erit Neque igitur
parva hec estimes esse sed congrega omnia
et sic ut in libro scribe Si enim tu scripseris deus
delebit sicut si non tu scripseris deus et inscri-
bet et vindictam expetet Multum igitur me-
lius est a nobis ea inscribi et divinitus dele-
ri quam e contrario nobis oblivioni tradentibus deum
ea ante oculos nostros offerre secundum diem
illam Ut igitur hoc non fiat omnia cum dili-
gencia recogitemus et inveniemus multis
nos ipsos obnoxios Qualiter igitur est
salvari cum Contraria huius sacramenta impo-
nentes Attendas igitur et per omnia vitam
expurgemus Ita enim poterimus et consequen-
tia delectorum potiri et promissis perfrui bo-
nis hec Criso. Oracio

Domine ihesu christe da michi imitari
signa in sole luna et stellis hoc est
bonorum operum exempla in te sole iusticie
et matre virgine et in omnibus sanctis tuis
nec fiat in terra carnalitatis mee pressura
gencium i. motuum inordinatorum pre
confusione sonitus confessionis et maris contri-
cionis et fluctuancium afflictionum arescenti-
bus in me humanis concupiscenciis pre timore
gehenne et expectacione glorie que superve-
nient universo orbi quando unumquemque secundum opera
dabis virtutes etiam celorum scilicet potencie a-
nime moveantur de virtute in virtutem ut
paratus inveniar in adventu tuo amen

De adventu christi iudicis xliii Capitulum

Et tunc scilicet post predicta sig-
per dominum tacta apparebit
hora qua non putatur hora
enim iudicii ignoratur signum

filii hominis scilicet signum crucis in celo hoc est in aere qui aliquando in scriptura celum vocatur ut passus in humilitate ignominiam crucis ostendat in sua veniens maiestate fructum salutarem et dignitatem eiusdem gloriose crucis filium hominis non filium dei se hic appellat quia non in forma dei sed hominis iudicabit Secundum Cris. crux apparebit sole lucidior et radians ut non sit necessitas accusatoris cum viderint crucem sed per se sine accusatore condempnabile eorum efficiat peccatum quemadmodum si quis lapide vulneratus ipsum ostendit lapidem vel vestimenta sanguine madefacta Et secundum eundem Criso. Non erit crux lignum scilicet in quo passus est dominus sed lux in modum crucis splendidior sole Per hoc autem signum crucis intelligi possunt etiam alia signa et instrumenta sue passionis et mortis ut clavi lancea corona et flagella que quasi vexilla triumphi et victorie in iudicium deferentur Quidam autem per hoc signum intelligunt cicatrices seu stigmata et testimonium passionis in carne ihesu ut impleatur illud zacharie videbunt in quem confixerunt ubi Iero. Signum hic autem crucis intelligitur ut videant iudei in quem compunxerunt aut vexillum fidei victoris triumphantis Secundum Cris quemadmodum ingrediente rege in civitatem exercitus antecedit qui signa atque vexilla regalia preferens annunciat regis introitum ita domino descendente de celis precedet exercitus angelorum et archangelorum qui signum crucis ut triumphale vexillum preferentes divinum regis celestis ingressum terris trementibus nunciabunt ¶ Et tunc scilicet cum triumphale vexillum videbunt plangent se inconsolabiliter sero accusante consciencia omnes tribus terre i. aliqui de omnibus tribubus et nacionibus scilicet male vel tribus terre i. omnes homines terreni et iniqui qui terrena dilexerunt et ea deo preposuerunt qui cum terrena voluntate decesserunt quibus

gravis et tristabilis erit adventus iudicis quem terrenis postposuerunt Et recte dicit tribus terre quia ut ait Iero. hii plangent qui municipatum non habent in celis sed scripti sunt in terra ubi Criso. plangent iudei plangent gentiles plangent christiani qui magis dilexerunt mundum quam christum Non sic tribus domini illuc enim ascenderunt tribus tribus domini ad confitendum nomini domini plangent autem se i. suam culpam quam commiserunt suam stulticiam quam non correxerunt suam gloriam quam amiserunt suam penam quam incurrerunt Et iterum Tunc plangent se omnes tribus terre qui magis dilexerunt mundum quam christum cum audierint eum hec verba dicentem ad se Ego propter vos homo factus sum propter vos alligatus et delusus et cesus et crucifixus ubi est tantarum iniuriarum mearum fructus Ecce precium sanguinis mei debetis Ego super gloriam meam vos habui cum essem deus apparens homo et viliorem me omnibus rebus vestris fecistis Nam omnem rem vilissimam terre amplius dilexistis quam iusticiam meam fidem Tunc plangent se omnes tribus terre quia nec resistendi virtus est contra eum nec fugiendi ante faciem eius nec penitencie locus et angustia eis omnium rerum nichil eis remanet preter luctus Merito plangent se quia tunc neque pecunie divitibus prosunt ad elemosinam faciendam nec parentes iusti pro presentibus intercedunt neque ipsi angeli pro hominibus sicut solebant faciunt verbum quia non recipit natura iudicium sicut nec tempus misericordie iudicium dicente propheta Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine misericordiam in priori adventu iudicium in secundo hec Criso. Unde et Effrem utique si sciremus quid immineat vel incumbat o fratres iugiter plangere deberemus observantes Si enim omnis creatura contremescet et ipsa agmina sanctorum angelorum expavescent in adventu eius quid tunc dicemus si hoc parvo tempore

negligenter ac segniter inveniri. Ipse namque probat negligentiam nostram a nobis exquirens ac dicens: Propter vos incarnatus sum et in terris palam conversatus propter vos flagellatus sum consputus palmis cesus crucifixus aceto potatus paradisum vobis aperui regnum meum obtuli spiritum sanctum vobis misi. Quid ultra debui vobis satisfacere et non feci. Humilem voluntatem vestram solummodo quesivi ne vos cogerem ne tamen vestre salutis esset occasio necessitatis. Dicite michi peccatores secundum naturam passibiles ac mortales quid passi estis propter me dominatorem vestrum qui etiam passibilis pro vobis passus sum hec offerens. Et tunc videbunt oculis corporalibus tam fideles quam infideles filium hominis in specie humana qua in forma hominis iudicabit. Unde Augustinus: Visio quippe filii hominis exhibebitur et malis nam visio forme dei non nisi mundis corde quoniam ipsi deum videbunt. Et quia filium dei secundum id quod in forma dei equalis est patri videre iniqui non possunt, oportet autem iudicem vivorum et mortuorum coram quo iudicabuntur et iusti videant et iniqui, ideo oportebat ut filius hominis acciperet iudiciariam potestatem. Unde et Beda: Ea forma electis apparebit qua in monte apparuit, reprobis vero in ea forma qua in cruce pependit. Videbunt insuper eum venientem ad iudicium in nubibus celi sicut in nube ascendit scilicet in aere super locum unde ascendit. Unde Crisostomus: Quia enim sicut in actibus apostolorum legitur nubes suscepit eum ab oculis eorum et illic dictum est ab angelis sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum, merito credendus est non solum in eodem loco cum quo ascendit verum etiam in nube venturus. Unde et Gregorius: Sicut eo ascendente in celum nubes eum tulit propter honorem ascendentis ita eum deferet ad iudicium. Veniet autem cum potestate magna. Secundus enim adventus Christi fiet in ostensione sublimitatis sive in ostensione potestatis et maiestatis et gloria. Tunc enim totus Christus cum membris gloriosus apparebit indutus lumine sicut vestimento. Veniet insuper cum virtute multa et potestate contra inimicos ad puniendum et deprimendum eos ac gloria magna et potestate et maiestate propter bonos ad premiandum et glorificandum ipsos ut qui in primo adventu venit ut servus cum infirmitate et humilitate in secundo veniat ut dominus cum fortitudine et regia maiestate. Unde Cirillus: Primam enim apparitionem prosecutus est cum infirmitate et humilitate nostra sed secundam celebrabit cum propria potestate et maiestate. Ubi et Gregorius: In potestate et maiestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt ut virtutem eius tanto tunc districtius sentiant quanto nunc cervicem cordis ad eius patientiam non inclinant. Ubi etiam Crisostomus: Si quando rex cum terrenus processum aliquem aut expeditionem mandat in ipso dignitates omnes moventur et exercitus excitatur tota civitas fervet quanto magis rege celesti exurgente iudicare vivos et mortuos virtutes angelice commovebuntur terribiles ministri terribiliorem fulgura viva precedent et protinus horrenda tonitrua vociferabunt. Qualis talis et preparatio regis hec Crisostomus. Filius ergo hominis in iudicio apparebit quia dignum est ut ipse filius dei qui in forma hominis iniuste iudicatus est in eadem forma hominis in iudicio iuste iudicet. Et in carne eius videbuntur cicatrices vulnerum ut videant reprobi in quem pupugerunt. Unde Crisostomus: Vulnera servavit ut in die iudicii prestarent ad testimonium passionis contra iudeos et omnes qui denegantes filium dei crucifixum insultarent. Et tunc vivi reperientur aliqui cum dominus veniet ut dicatur iudicare vivos et mortuos ac iudex vivorum et mortuorum. Et secundum Augustinum illi tunc morientur

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

et in momento resuscitabuntur quia statu-
tum est hominibus semel mori Et secundum
aplm omnes resurgemus et ergo omnes mo-
riemur Sed enim ait aug. erit resurrectio
mortuorum omnium hominum s. vna et insimul
non prima iustorum et peccatorum secunda Et
tunc s. ante tronem omnium mittit ange-
los suos cum tuba et voce magna i. tam
aperta et tam intensa voce que a mortu-
is audiatur ubique Unde remigius Hec autem
tuba non revera corporea est intelligenda
s. angelica vox que a deo magis erit ut ad
clamorem illius omnes mortui de terre pul-
vere consurgant Vel tuba est potestas suscitandi
mortuos ad iudicium et vox est vox xpi vo-
cantis mortuos ad iudicium eo cuius virtu-
te suscitabuntur et magna ut nullus re-
maneat non suscitatus et ut in iudicio sint
omnes Unde Cris. Hec magna vox tube ter-
ribilis cui omnia obediunt elementa que
petras scindit inferos aperit clausuras tene-
brarum pertransit portas ereas conterit vec-
tes adamantinos confringit vincula mor-
tis dirumpit et de profundo abissi animas libe-
ratas corporibus assignat Hec omnia ci-
cius consumat in opere quam sagitta transit in
aere dicente aplo in momento in ictu oculi
in novissima tuba canet enim tuba et mor-
tui resurgunt incorrupti In illa voce pulvis
iam dissolutus corporum mortuorum in
nova membra constringitur In illa voce
quam vna persona obnoxia totum mare disturbit
ut si quod aput se retinet de humanis ossibus
sine contradictione restituat hec Cris.
Et congregabunt angeli ad iudicium
electos spiritualiter ab vniversis regionibus et locis in
quibus putrefactiones resoluti sunt ut triticum
ventilatum de area totius terre et orbis
qui specialiter adducentur ministerio angelorum
quia erunt conciues eorum Et non solum
congregabunt electos quorum corpora levia erunt

sed eciam reprobos qui corpora ponderosa
habebunt et ideo sicut angelus abacuc sic
eos portabunt Et electos congregabunt ad glo-
riam reprobos ad dampnacionem Et electi occurrent
domino gaudentes et prius accedentes quia
in aere rapti obviabunt et occurrent domi-
no ad iudicium venienti Reprobi vero venient
s. in magna distancia ut ait remigius Et
secundum Cris. primo resurgent et resuscitatos angeli
congregabunt congregatos autem rapient nubes
et hec omnia in instanti momento fient In val-
le autem iosaphat s. in aere iudicabitur omnis
homo quia iudicii discrimen erit in aere dicen-
te aplo Simul rapiemur cum illis in nubibus
obviam xpo in aera De hac die sic dicit
Cris. heu michi de illa die terribili cum dicere
nos scitaci cum hec audiamus s. dolemus et
tristes sumus Qualibus ergo videbimus xpm
oculis Si enim patrem aliquis non usque ferret
videre conscius sibi ipsi peccati in ipsum patrem
infinite mansuetum qualiter respiciemus eum
tunc qualiter sustinebimus Etenim representa-
bimur tribunali xpi et omnium diligens erit in-
vestigacio hec Cris. In omni autem temptacione
multum valet illam diem tremendis et iudicii et
nobis et aliis ad mentem revocare quod hoc
precipue consuevit animam curare unde Cris.
Si avari esse volueris et si rapere et si incon-
venienis quod agere confestim diem illam in mente
mittamus et iudicium subscribamus et si
freno vehemencius detinebit inconvenientem
impetum hec cogitacio et dicamus ad nos
ipsos certe et iudicium nos expectat terribile
Et si viderimus aliquem elatum et in potentibus bo-
nis inflammatum i. superbientem dicamus ostenden-
tes quoniam omnia hic manent Et si alium dolentem
viderimus et tristantem et ad illum idem loquamur
ostendentes quoniam finem habebit tristicia Et si
pigritantem et dissolutum rursus idem super-
intantes ostendentes ei quoniam vere est pigricie
rationes dare Sufficiens est hoc verbum omni

Vaticinato magis nostraz curate animaz et ei
est resurrectio prope ostiis non longe nec paul
ad huc aut parum quantulumcumque qui ueni-
et ueniet et non tardabit et omnes nos manifesta
ri oportet ante tribunal xpi et bonos et ma-
los hos quidem ut ante omnes uerecundentur
eos uero ut ante omnes clariores efficiantur
hec igitur secundum vna quaque subscribam nobis
diem Et hec semper reuoluamus nulla sollici-
tudo presentium nos mordeat potius rerum Etenim
que uidentur extranea ea uero que non uidentur
non temporalia sunt Continue igitur et ad ipsos
loquamur et ad inuicem resurrectio est et iudicium
et nouissime eorum que gesta sunt Et ne irrite
deum sed audias eum dicentem timete eum qui
potest et corpus et animam perdere in gehennam ut
propter timorem facti molliores et approximate
hac erunt digni efficiamur regno celorum
hec Crisostomus. Oratio

Domine ihesu xpe qui ad iudicandum
cum potestate et maiestate magna
es uenturus angelis in signum gloriose crucis
tamquam uexillum triumphale preferentibus
tu animam meam huius sanctissime crucis impres-
sione consigna tu me huius uirtute purifi-
ca et per hanc me totum sic uendica tibi ut
nichil aduersarii ualeat in me reperire quatenus
te ad iudicium ueniente ego hoc uenerabili
inueniar signatus stigmate ut tibi crucifix-
o configuratus in pena consors fieri merear
et tui resurgentis in gloria amen. De e-
lectorum consolatione ex appropinquante redemptione
et de similitudine ficulnee xliiii capitulum

Unde post premissa contra
reprobos dicta nunc ad elec-
torum consolationem dominus conuer-
teritur quia dies iudicii licet
reprobis sit terribilis tamen electis debet esse co-
solabilis tunc enim ad gloriam transferentur
eternam et optatam Unde hortatur eos dicens
hiis aut scilicet signis predictis fieri incipientibus

et apparentibus scilicet cum plage mundi
crebres fiunt cum terror iudicii commotis uir-
tutibus ostenditur cum peccatores tabescunt
pre timore et expectatione malorum Vos
electi respicite per fidem id est diligenter atten-
dite et mentis oculos aperite credendo et
nullatenus dubitando et leuate per spem ca-
pita uestra id est mentes uestras a terrenis ad celes-
tia expectatione gaudiosa erigite et cor-
da uestra exhilerate ac gaudete cum letitia
qui in tristitia fuistis quoniam post tribulationem
horum dierum post pressuras et terrores
malorum appropinquat redemptio plena et
perfecta quam expectatis quia dum finitur
mundus cuius amici non estis ipse est re-
demptio quam quesistis Redemptio nostra uestra
id est sanctorum sed econtrario appropinquabit perdi-
tio malorum Hec aut redemptio erit plena ab
omnibus malis liberatio tunc enim ab omnibus
seruitutibus scilicet peccatorum alligatione fomi-
tis infectione sensuum illectione passionum
infestatione demonum temptatione malorum
hominum persecutione necessariorum sollicitudine
et ab omnibus huiusmodi erimus liberi quando po-
nemur in libertatem filiorum glorie filiorum
dei Hec enim redemptio non est aliud nisi per-
fecta libertas anime et corporis ut tunc uisi di-
cere possit xpo illud apocalipsis Occisus es et rede-
misti nos deo nostro in sanguine tuo et fecisti nos
deo nostro regnum Hoc quippe ad consolationem
electorum cedit quod uideant xpm uenire ut eis
premia largiatur que suis promisit Ex ue no-
bis ambitiosi qui primas cathedras diligitis
scilicet qui ad dignitates diligitis accedere uel in ipsis
dignitatibus diligitis perseuerare quia uobis
erit tunc nobis pars nec sors in sermone isto
nec cum electis consolatio nec xpm iudicem
uenientem non uidebitis nec gaudentes uidebi-
tis qui nunc preesse et iudices esse diligitis
Quod beatus gregorius attestatur dicens Nam cum
esse nunc iudicem libet hunc uidere timeri-